

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub An. Pisc. die XXIX. Nov. MDCLXXXVIII. Pontif. nostri Anno Decimotertio.

CCIV.

Statuitur, ut in Dioecesi Portugallen. lis censeatur legitime contestata per negativam, si Reus contumaciter respondere recusaverit.

Consl. ed. 1687., Maji 12., P. 11. tolluntur Franchitia pro reis in Urbe Roma, & ab Innoc. XII. eidem denogatur remissio Conslit. ed. 1692. Maji 12., P. 1.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex Ecclesiasticarum legum conditor, & moderator Judicarium Ordinem ne per Delinquentium exquisitis malitiis eludatur, ipsique Delinquentes ex sua calliditate impunitatem delictorum consequantur, solet nonnunquam immutare, aliaque facere, & ordinare, prout rerum ac temporum requirit status, & iniquorum protervia exposcit.

Exponi siquidem nobis nuper fecit Ven. Frater Joannes Episcopus Portugallen, quod in ejus Curia, & Dioecesi Portugallen. antiquis litis contestanda, tam in Civilibus, quam in criminalibus, & mixtis Causis observari solet stylus, quod rei super aliqua re conventi, vel de aliquo crimine accusati negative, vel affirmative debeant libello contra ipsos proposito respondere, alias Judices nequeant ad ulteriora valide procedere. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat ex stylo hujusmodi saepe eveniat, ut plures ex ipsis reis conventis metu poenae, seu Judicii differendi, aut alia forsitan de Causa respondere nolint, nec ad id Ecclesiastica Censura, aut carceratione, quas malunt indurati potius sustinere, cogi possint. Nobis propterea idem Joannes Episcopus humiliter supplicari fecit, ut quemadmodum fel. rec. Clemens Papa VII. praedecessor noster per suas in simili forma Brevis die 30. Maji 1592. pro Civitate, & Dioecesi Eborac. in quibus similis contestanda litis stylus observari solebat statuisset noscebatur, Nos similiter pro ejus Curia, & Dioecesi in remedium praemissorum statuere, & ordinare de benignitate Apostolica dignemur. Nos igitur ipsum Joannem Episcopum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, a quibusvis excommunicationis, & suspensionis, interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac vestigiis Clementis praedecessoris praedicti in hoc omnino inhaerentes per praesentes volumus, statuimus, & ordinamus quod de cetero perpetuis futuris temporibus, si rei in Civitate, & Dioecesi Portugallen. tam civiliter, quam criminaliter conventi litem contumaciter in competenti termino eis praesigendo contestari recusaverint, seu noluerint, termino elapso lis ipsa per negativam pro legitime contestata habeatur,

Stylus contestanda litis in Dioecesi.

Preces Episcopi Portugallen. pro stylo observari solito in Dioecesi Eborac.

Statuti praedicti.

ac exinde Judices, coram quibus Causas pro tempore pendere contigerit ad ulteriora, etiam ad Causae conclusionem, & Sententiae definitivae prolationem, alias tamen legitime procedere valeant; nec eorum processus ex eo, quod lis ipsa in forma juris contestata non fuerit, impugnari, annullari seu invalidari debeat, seu possit. Et sic in praemissis, & singulis per quoscumque Judices, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, decidi, & terminari debere; irritum quoque, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Clausa.

Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, dictaque Ecclesiastica Portugallen. juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus, pro plene, & sufficienter, expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annul. Pisc. die IV. Martii MDCLXXXIX. Pontif. nostri Anno Decimotertio.

CCV.

Conceditur Visitantibus Ecclesiae Fratrum Capuccinorum die 2. Augusti facultas applicandi Indulgentiam animabus Defunctorum per modum suffragii.

Dat. 16. Maji 1689. An. 13.

Eadem facultas concessa fuit Fratribus de Observantia, & Reformatis Ord. S. Francisci Consl. ed. 1687., Jan. 22., P. 11.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Lias fel. rec. Gregorius PP. XV. praedecessor noster omnibus, & singulis utriusque sexus Christianis vere poenitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum ubique existent., die secunda mensis Augusti a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi annis singulis devote visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, haereticum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit, & alias prout in ipsius Gregorii Praedecessoris Literis desuper simili forma Brevis die 12. Octob. 1622. expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, uberius continetur.

Praedicta Indulgentia concessa fuit a Greg. XV. visitantibus illorum Ecclesias.

Preces Procuratoris Gen.

Cum autem sicut dilectus filius modernus Procurator Generalis dicti Ordinis nobis nuper exponi fecit Indulgentiam Plenariam, & peccato-

catorum remissionem per dictum Gregorium, praedecessorem, ut praefertur concessam, etiam animabus Christianis Defunctorum per modum suffragii applicari posse summopere desideret; nos pias ejusdem Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, auctoritate nobis a Domino tradita, ac Beatorum Petri, & Pauli Apost. ejus auctoritate confisi, Indulgentiam plenariam, & peccatorum remissionem Christianis delictibus praefatis Ecclesiae Fratrum Ordinis S. Francisci Capuccinorum dicta die secunda mensis Augusti, ut supra visitantibus, & praemissa peragentibus concessam, etiam Christianis Animabus, quae Deo in Charitate conjunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari posse, etiam perpetuo concedimus, & indulgemus. In contrarium facientibus quibuscumque.

Concessio d. facultatis.

Clausa.

Volimus autem, ut earumdem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prout fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsi praesentibus haberetur si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annul. Pisc. die X. Maji MDCLXXXIX. Pontif. nostri Anno Decimotertio.

CCVI.

Erigitur in Archiconfraternitatem Confraternitas Nominis B. M. V. in Ecclesia S. Stephani de Cacco de Urbe sita.

Conslit. ed. 1677. Julii 16. Pont. 1. Confraternitas Almae Domus Lauretanae de Urbe erecta fuit in Archiconfraternitatem.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Hinc Confraternitati concessa fuerunt Indulgentiae.

Nos alias Confraternitati sub invocatione SS. Nominis Beatae Mariae Virginis in Ecclesia Sancti Stephani de Cacco nuncupat. de Urbe Congregationis Monachorum Silvestrinorum canonice (ut asseritur) erectae ejusque Confratribus, & Confororibus nonnullas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes sub certis modo, & forma tunc expressis, auctoritate Apostolica perpetuo concesserimus, & alias prout in nostris in simili forma Brevis desuper expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur: Et sicut dilecti filii Officiales, & Confratres dictae Confraternitatis Nobis nuper exponi fecerant, ipsi Confraternitatem hujusmodi Archiconfraternitatis titulo decorari plurimum desiderant, Nos dictos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulores personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad

Preces Officialium, & Confratrum.

effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Confraternitatem praedictam in Archiconfraternitate, cum omnibus, & singulis praerogativis, juribus, honoribus, & praerogativis solitis, & consuetis auctoritate praefata tenore praesentium, sine cujusquam praedictam in Archiconfraternitate, & institutum; ac ipsius Archiconfraternitatis sic erectae Officialibus, & Confratribus praesentibus, & futuris, ut ipsi alias quascumque Confraternitates ejusdem Instituti extra Urbem praedictam ubicumque locorum existentes eidem, Archiconfraternitati, servata tamen forma Constitutionis fel. rec. Clementis PP. VIII. Praedecessoris nostri desuper editae aggregare, illisque omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes ipsi Confraternitati, sic in Archiconfraternitate, erectae a Nobis, ut praefertur, concessas, communicare libere, & licite possint, & valeant, auctoritate, & tenore praedictis itidem perpetuo concedimus, & indulgemus.

Erectio d. Confraternitatis in Archiconfraternitatem cum facultate aggregandi alias Confraternitates, & communicandi Indulgentias.

Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suoque plenarias, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausa.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit supradictae Confraternitatis, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Pisc. die XI. Maji MDCLXXXIX. Pontificatus nostri anno Decimotertio.

CCVII.

Confirmantur, & extenduntur Decreta Congregationis Reformationis Tribunalium.

Dat. 28. Junii 1689. An. 13.

Inter infra laudandas Constitutiones ea tantum Pauli V. ed. 1612. Mar. 1. P. 7. pertinet ad omnia Tribunalia. Clem. IX. Consl. ed. 1667. Septem. 1. P. 1. extat Reformatio Tribunalis Burgi. Et Inn. XII. Consl. ed. 1692. Aug. 31. P. 1. reductio Tribunalium ad jus commune. Consl. vero ed. 1692. Novembr. 19. Pont. 2. reformatio Tribunalis Viarum.



præfata prohibitione comprehensos esse, quamvis commissio superveniat, vel quod eis injungatur, ut procedant de, vel cum voto Rotæ, five alterius Tribunalis, vel personæ, aut quod procedere profiteantur pro Exequatur literarum Apostolicarum, five in vim cujuscumque deputacionis generalis, & quoties non sit expressa, & specialis deputatio ad certas, & particulares causas, unde dici valeant veri Commissarii, ut supra: salva tamen quoad A. C. dispositione dictæ Constitucionis Pauli V. in titulo de A. C. §. Permittitur tamen.

De penis in contravenientes, & summa propinæ.

Atque alias quidquid etiam sponte solum esset, illicitum censeatur, ideoque tam Judices, quam Notarii recipientes incurrere censentur in penas inflictas per Constitutiones Apostolicas, neque ita solum veniat sub condemnatione, & taxa expensarum, quinimo, ut eisdem qui solverunt, competat reperitio tam a Juce, quam a Notario ad eorum electionem, absque eo, quod aliqua consuetudo in contrarium ullo unquam tempore induci valeat, & quam irritam, cassam, ac reprobam esse, decretum, & declaratum fuit. Quodque illi Judices tam Ordinarii, quam Commissarii, quibus per eandem Constitutionem Pauli Quinti, vel per speciale Indultum conceditur posse exigere sportulas, ut supra, non possint in tota causa exigere nisi unicam propinam juxta taxam, ut supra, quamvis plures essent personæ in causa, adeout si Victoria ambas, vel plures partes tangat, omnes proportionabiliter, & pro rata concurrant ad dictam unicam propinam solvendam, neque divisio sententiarum, vel punctorum, eorumque reservatio in hoc quidquam suffragari valeat, adeout idem Jux in eadem causa unicam tantum propinam percipiat.

De Advocatis, & Procuratoribus, aliisque Causidicis, & negotiorum gestoribus.

Vide aliam reformationem Benedicti XII. Constit. ed. 1340., Octobr. 25., P. 6. Et Pii IV. Constit. ed. 1561., Dec. 27., P. 3. §. 10.

De Originalibus, Salaris, & Expensis.

Ad sublevandum litigantes ab excessivitate expensarum, quas patiuntur in Curia, pro nunc decretum fuit, quod originalia Informationum tam Juris, quam Facti, & tam Advocatorum, quam Procuratorum, aliorumque Curialium, & Defensorum, non debeant excedere scutum unum monetæ, etiam si fuerint plurium foliorum, pro brevioribus vero fiat solutio pro quanti importabunt juxta stilum.

Advocati, Procuratores, & Solicitatores, & quicumque alii Causidici, & Defensores, atque Judicialium, vel aulicorum negotiorum gestores pro eorum honorariis, seu salariis, etiam conventis, non habeant actionem in posterum, nisi pro Salaris, vel mercede ultimi biennii, tam citra, quam ultra montes, quibus elapsis remaneat præscripta, & perempta omnis actio ad agendum quocumque ordinario, & extraordinario remedio denegato.

Si contigerit per dictos Advocatos, Procuratores, Solicitatores, & alios, de quibus supra, fieri expensas in causis ab eisdem patrocinatis, vel negotiis, ut supra ab eis gestis, non possint ab eorum Principalibus illa prætere-

ultra summam scutorum quinquaginta, nisi legitime, & sincere citra omnem suspensionem fraudis, & concussionis constet de recognitione veritatis, & debiti in majori summa facta de ordine sui Principalis.

De Notariis.

Vide alia de his Pii IV. Constit. ed. 1561., Dec. 27., P. 3. §. 21. Constit. ed. 1562., Jun. 31. §. 58. cum seq., & §. 68. Item Greg. XIII. Constit. ed. 1575., Jan. 27., P. 3. §. 6. Necnon Sixti V. Constit. ed. 1587., Dec. 1., P. 3.

Ad tollendas controversias, quæ solent occurrere inter partes, & Notarios super mercede Instrumentorum Tutelæ, vel curæ cum Inventario tutelari, & fidejussionis præfatione, ac Instrumentorum aditionis hæreditatis etiam cum Inventario solemnem, & pro rogatu susceptionis Tutelæ, & obligatione fidejussoris, aut fidejussorum, necnon aditione hæreditatis, & confessionis Inventarii, decretum, & declaratum fuit, quod Notarii quorumvis Tribunalium, non possint exigere aliam mercedem nisi ad formam statuti Urbis lib. 3. Cap. 93.

Pro mercede Instrumenti sententiæ Notarii A. C. non possint exigere a partibus, nisi summam Juliorum quindecim, juxta taxam præscriptam eisdem Notariis in Reformatione fel. me. Pauli V., etiam si in ipsa sententia fuerit concessum mandatum executivum, vel de associando, manutendo, & immittendo, possint tamen Notarii apponere in Instrumento, si volunt, quod sententia deserviat ad probationem, sed non ad executionem, quæ fieri non possit, nisi vigore mandati ad partes expediendi, alias executio sit nulla.

In examine Testium cum interrogatoriis, tam in criminalibus, quam in civilibus in quocumque Tribunali, & Curia quælibet sessio durare debeat spatio duarum horarum, vere, & effectivè continuando exercitium, nec aliquid amplius, nec ultra Julios quinque pro quælibet sessione accipiatur ab interprete, sub prætextu, quod examen fiat extra officium Notarii.

Item pariter mandatum, & decretum est, quod si contigerit expediri mandata executiva contra Notarios, illa exequi non possit super Protocolis, & aliis scripturis sub penis partibus nullitatis executionis, & Exequutoribus privationis officii, & aliis arbitrio Judicis.

Et quoniam magna est fides, quæ Notariis præfatur, ideoque omnis ratio postulat, ut illi sint viri sufficienti peritia, morum probitate, ac honestis natalibus præditi: Hinc provifum, ac decretum est (si Sanctissimo placuerit) ut omnes habentes privilegia, & facultates creandi Notarios cujuscumque sint status, conditionis, & dignitatis, quamvis expressa, & speciali nota digni, & five sint personæ singulares, five collegia, & universitates, firmis remanentibus eorum privilegiis, & facultatibus, eo modo, quo competunt, atque hætenus competere consueverunt non possint in Urbe, & districtu dictæ privilegia, & facultates exercere, atque Notarios creare, nisi prius modo, quo infra legitime eis constiterit, quod illi qui creandi sunt Notarii, legitimis, honestisque natalibus, bonisque

De mercede pro Instrumentis, & examine Testium.

De exequutione contra Notarios, eorumque electione.

que moribus præditi sint, adeout non sint iniqui, neque contumaces, ac etiam in ætate saltem annorum viginti quinque constituti. Nec non quod saltem per sex menses continuos, & non interruptos in Urbe apud aliquem ex Notariis publicis Auditoris Cameræ, vel Rotæ, vel Cameræ Apostolicæ, seu Vicarii, aut Capitoli vere fuerint versati pro addiscenda praxi, & peritia conficiendi Instrumenta, dictoque termino sex mensium completo, cum vero, & effectivo, ac rigoroso examine tenendo coram Decano, vel alio Deputato illius Collegii, qui Notarium creare debet, aut coram Auditore Cameræ, seu Camerario cum interventu duorum Procuratorum de Collegio, ac duorum publicorum Notariorum Urbis habentium Officium proprium, dummodo non sint illi Notarii, apud quos ipsi examinandi versati sunt, approbati fuerint tamquam idonei, dictaque approbatio debeat subscribi ab iis, qui ut supra interveniunt in examine, atque alias actus habeatur pro invalido, perinde, ac si gestus non esset, illeque alias creatus nullatenus pro Notario habeatur, atque tam illi, qui Notarios citra istam formam creaverint, quam ipsi creati penas incurrant arbitrio Sanctissimi etiam amissionis privilegii.

De Curforibus, & Mandatariis, aliisque Exequutoribus, & de citationibus, exequutionibus, & subhaftationibus.

Vide de Curforibus, & Mandatariis Pii IV. Constit. ed. 1562., Jan. 31., P. 3. §. 78., & seq. Item Pauli V. Constit. ed. 1612., Martii 1. Pontif. 7. §. 21.

De Citationibus, & Intimationibus extrajudicialibus.

Exorta differentia inter Cursores Sanctissimi ex una, & Mandatarios D. Cardinalis Vicarii, omniumque aliorum Tribunalium, & Curiarum Urbis ex altera partibus super citationibus, & intimationibus præfertim extrajudicialibus, quæ solent fieri pro propositionibus causarum, aliisque actibus in Tribunalibus Rotæ, Cameræ Apostolicæ, & utriusque signaturæ, & in Congregationibus Eminentiſſimorum Cardinalium coram Dominis Præfeto Sacri Palatii, Auditore SSiſſi, aliisque Judicibus extra propria Tribunalia, & Curias eorundem Mandatariorum prætendentium se illas tanquam actus extrajudiciales facere, & exequi posse. Congregatio supradicta, utraque parte pluries audita declaravit, hoc ipsis non licere, sed etiam quoad istas servandas esse Constitutiones Apostolicas sub penis in eisdem Constitutionibus contentis, aliisque arbitrio ejusdem Congregationis intelligendis.

De Processibus contumacialibus.

Ad tollendas controversias quomodo procedendum sit tempore Sedis vacantis in processibus contumacialibus conficiendis in Curia, Congregatio declaravit, procedendum esse per edicta publica, non autem per contradictas.

De provisionibus Exequutoribus.

Quoniam vero fertur, quod Ministri, & Officiales Civitatum, Oppidorum, & locorum in quibus DD. Clerici, & Commissarii Cameræ, ac etiam Domini Cardinales, alique Prælati ratione Episcopatum, vel Abbatiarum, & Commendarum, & Præfetus Sacri Palatii Apostolici exercent jurisdictionem temporalem, ac etiam Ministri, & Officiales Baronum, & Domicellorum, & aliorum quorumcumque de facto, indebite quandoque præstare audent impedimentum, ne in dictis locis, eorumque territoriis exequantur per Cursores, & Mandatarios, aliosque Ministros, & Exequutores Tribunalium Urbis, & alios quibus demandatum fuerit, citationes, & mandata, aliasque provisiones Judicum, & Tribunalium Romanæ Curie, & præferti Auditoris Cameræ absque eorum licentia & beneplacito in scriptis, ut vulgo dicitur Exequatur; Idcirco declaratum, & decretum fuit, quod tam citationes verbales, & Personales, vel Domi five in manibus domesticorum, aut per edicta, quam etiam mandata quæcumque pariter tam in personis, quam in bonis in quibuscumque causis civilibus, & criminalibus libere possint fieri, & exequi, absque alia licentia, beneplacito, vel Exequatur, aut requisitione Officialium, & Ministrorum loci, neque dictos Officiales, & Ministros, etiam ipsosmet Cardinales, & Prælatos, & Clericos, & Commissarium Cameræ, ac Barones, & Domicellos, & alios quoscumque posse in hoc aliquod directum, vel indirectum impedimentum præstare sub penis contentis in Constitutionibus Apostolicis contra usurpantes jurisdictionem Sedis Apostolicæ, vel illam, ejusque liberum exercitium impediens, aut Curie resistentiam facientes, & inadvertenter, ac indebite requisiti de aliqua licentia, vel beneplacito nullatenus possint, nec debeant sub eisdem penis apponere Exequatur, vel alias in scriptis apponere manus in ipsis expeditionibus Tribunalium Romanæ Curie.

In ipsa vero Urbe quando mandata servatis servandis relaxata fuerunt contra personas privilegatas, quæ neglexerint allegare declinatoriam, & petere opportuno tempore remissionem causæ ad proprium, & particularem Judicem, pariter illa exequi possint, nullumque Exequatur peti, vel respective concedi debeat, ut ita occurratur fraudibus, & inconvenientibus, quæ experientia docuit exinde sequi, sibi namque imputent, cur initio, & re integra forum declinare neglexerint.

In subhaftationibus faciendis de bonis stabilibus, vel locis Montium, aut censibus in Urbe affigantur edicta ad valvas Domus Judicis, & in platea bancorum, & extra Urbem in locis solitis per dies quindecim antea, in quibus exprimatæ distincte situatio, & qualitas bonorum, & quoad loca Montium exprimatæ eorum species, ac etiam an sint libera, vel vinculata, & quatenus sint vinculata, explicetur qualitas vinculo- rum, contentorum in Literis Patentibus, atque in censibus explicetur qualitas debitoris, & fundi censiti, ut ita oblatores melius informentur, atque ad offerendum alliciantur.

In distractionibus judicialibus locorum Montium vacabilium, & non vacabilium, ac Officiorum vacabilium Romanæ Curie non procedatur, nisi previa intimatione, vel interpellatione faciendâ Procuratori, seu Exactori fructuum dictorum locorum Montium, seu Officiorum.

De Subhaftationibus, & Distractionibus locorum Montium.

De variis Provisionibus.

Ad evitandas controversias, quæ quotidie oriuntur inter Tribunalia Romanæ Curie in causis Criminalibus propter spontaneas constitutiones, & monitoria, quæ ejus vigore expediuntur in vim l. diffamari C. de injuriis, & manam.

De Spontaneis Constitutionibus, & Monitoriis.



Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decret Romanum Pontificem, ut sicut ex imposita sibi divinitus Apostolica servitutis officio totius Domini Gregis utilitatibus indefinenter incumbit, in Alma Urbis, ac in ea litigantium, nec non suorum, & Apostolica Sedis etiam quo ad temporalia subditorum commodis circa ea praesertim, quae meliorem, ac celeriorum Justitiae administrationem, refectis superfluis circuitibus, sublatis subterfugiis, reformatisque litigantium expensis concernunt, sollicitis studiis intendat, ut si quae per suos praedecessores pro felici Reipublicae statu provide sancita lapsu temporis in defectum abiisse visa, seu deformata, vel depravata fuerint, congruae declarationis, seu reformationis ope, pristino nitore, ac vigori restituantur; si quae autem de novo emerferint, quae ut temporum fert conditio, novo auxilio indigere noscantur, opportuna sanctionis, seu provisionis remedio reparentur, & muniantur.

Justitiae fuit Congregatio, ejus decreta approbata, & ex his nonnulla ex reata ad nostrum Statum Ecclesiae fustulicium.

§. 1. Hinc est quod Nos ab ipso suscepti, meritis licet imparibus, Universalis Ecclesiae Regimini primordio fe. re. Pauli PP. V. praedecessoris nostri super reformatione Tribunalium Urbis praefata ejusque Officialium editam Constitutionem inconcussa servari, omnes, qui in contrarium irrepsissent aboleri, opportunaque declarationes, reformationes, & provisiones, quae ad rectam, magis expeditam, minusque dispendiosam justitiae administrationem conferrent, expleri cupientes, Congregationem reformationis Tribunalium dictae Urbis singulis mensibus haberi praecipimus; factaque Nobis postmodum die 3. Junii 1679. duplici relatione, Decreta ab eadem Congregatione, eo usque emanata approbavimus, nonnullaque ex illis ad universum Statum nostrum Ecclesiasticum Italiae extendimus, & ampliavimus, illaque omnia publicari, ac sub poenis in praefata memorati Pauli praedecessoris Constitutione contentis, nec non aliis, quae in iisdem Decretis impositae fuerant, ceterisque Nostro, vel Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio injungendis, in Urbe, & Statu praefatis respective exacte observari mandavimus. Subinde autem supradicta Congregatio, cum de eadem Reformatione serio agere non desisterit, ac quaedam ex memoratis Decretis, eaque signanter super Substantionibus edita rationabilibus ex causis, ac experientia ita suadente delenda, seu revocanda: alia similiter declaranda, seu reformanda: nonnulla demum etiam addenda censuerit, post novum multiplex, & exactum examen Decreta hujusmodi in sequentem formam redegit, videlicet:

De Capitolio, ejusque Officialibus.

Pluries examinata directione fori, seu Tribunalis Capitolini, & quomodo occurrendum, sit aliquibus inconvenientibus, quae circa mentem, & sensum statuentium, & calumniatorum malitia irrepsisse videntur, devenit ad sequentes resolutiones, & provisiones.

Deinde ab eadem Congregatio fuerit sequenti nova Decreta.

Vide Pii IV. Constit. ed. 1562. Jun. 31. P. 3. §. 27. 33. 74. Et Pauli V. Constit. ed. 1612. Martii 1. Pont. 7. §. 7.

Primo, ut in causis, in quibus ex dispositione omnino tollitur, ac denegatur appellatio, sive quod illa respective conceditur ad solum effectum resolutivum, non autem suspensivum, vel non nisi facto deposito, sive sub alia forma per eadem statuta praescripta, & demandata, Senator, quando non judicavit tanquam Judex primae Instantiae, tanquam Caput Tribunalis, & cui per Statutum commissum, ac injunctum est, ut observet, atque ab illis observari faciat Statuta, & Jura communia, gerat omnes illas Partes, quas in Tribunali Auditoris Camerae, aliisque Tribunalibus appellationum, & ulterioris instantiae post primam gerit D. Cardinalis Signaturae Justitiae Praefectus in recognoscendo, & declarando, an per Judicem appellationis admitti, vel respective rejici debuerit appellatio, sive an iste moderari, vel respective reintegrare debeat suam inhibitionem, aliaque similia peragere eo modo, quo per dictum Cardinalem Praefectum Signaturae Justitiae praestatur: Ubi vero partes, vel earum altera iudicio Senatoris non acquiescant, tunc Assettamentum gerat, ac impleat illas partes super praemissis, quas gerit, & implet plenam Signaturae Justitiae. In illis vero casibus, in quibus Senator judicavit, tanquam Judex primae Instantiae, directe ac immediate recurri debeat ad Assettamentum, quod super praemissis provideat, ac rescribat, ad tollendos inanes circuitus sequi solitos super electione Consultoris ob Senatoris suspensionem, ut citius, quo fieri potest, negocia terminarentur.

De Senatore.

De Assettamento.

Secundo, ut pro declaratione, seu clariori observantia ejus, quod Statuta jam disponunt, votum, seu Judicium Assettamenti super praemissis esse debeat novum, & integrum usque eo, quod illud pro palatum fuerit in prima Instantia, ideoque in praefatis causis, quae non de sui natura simpliciter ad utrumque effectum appellabiles, Assettamentum in prima instantia nullo pacto se ingerat, suumque votum non praestet, etiam si Judex petat, nisi utraque partium consentiat cum renunciatione cuicumque appellationi, vel restitutioni in integrum, & cuicumque alteri recursum, adeo ut cupiant partes in eadem prima Instantia causae cum hoc voto, finem dare.

Tertio licet per Constitutionem Pii PP. IV. disponatur, quod si unum ex Judicibus Curiae abesse, vel egrotare contingat, aut suspectum, jurari, Assettamentum per alios tres praesentes fieri possit; attamen quia dari potest casus, quod impedimentum, vel suspicio verificetur in aliquo ex tribus, vel quod qualitas causae exigat, aut Assettamentum plenum, & non constitutum minori numero quatuor: Idcirco Senator ad eorumdem Statutorum praescriptum alium, seu alios, in locum illorum, qui impediti sint subrogare poterit, & quatenus partes, vel una eorum suspectum habeat Senatorem in hac deputatione tunc supplebit Auditor Sanctissimus.

Quarto, quod in causis restitutionis in integrum, sive ista petatur incidenter, sive principaliter pronuntiari non valeat, nec debeat, sed servari debeat id, quod praestatur in Tribunali A. C. aliisque Tribunalibus Urbis, quod scilicet

De causis restitutionis, & nullitatibus.

scilicet, ubi agitur de Decretis interlocutoriis, ac aliis, a quibus reponi potest, si Judex credit esse locum restitutioni, reponat a Decreto facto in negotio principali; ubi vero agitur de sententiis non appellabilibus, a quibus reponi non potest, abstineat ab executione, sive infirmet ipsam sententiam in illis casibus, in quibus infirmare potest; & e converso, ubi credat, non esse locum restitutioni, procedat ad ulteriora in executione, adeo ut nunquam detur pronuntiatio particularis super ipsa restitutione concedenda, vel respective deneganda, sed illa solum sit causa, ut pronuncietur, vel provideatur in negotio principali, ne alias sequatur illa magna multiplicatio sententiarum, quae aliquando sequi consuevit.

Quinto, quod ubi super eadem restitutione tam incidenter, quam principaliter petita, aliqua controversia oriri contingat tam circa recusatorem Judicis, coram quo petitur, quam circa suspensionem executionis, ac alia (cum restitutione, & appellatio parificentur) idcirco etiam in isto casu servetur idem, quod supra in casu appellationis provisum est, quod scilicet detur recursus ad Senatorem eo modo, quo in aliis Tribunalibus datur ad Cardinalem Praefectum Signaturae Justitiae, & successive ad Assettamentum eum eodem modo, quoad Signaturam plenam, ut supra.

Et sexto demum, quod etiam in hoc Tribunali circa nullitates observetur, quod in aliis Tribunalibus dispositum est per reformationem Pauli V. ut non attendantur nullitates nisi sint ex tribus &c. prout etiam disponitur in motu proprio Pii IV.

De Sportulis, vel Propinas.

Vide Pii IV. Constit. ed. 1562. Jun. 31. Pont. 3. §. 3. 6. 7. Et Pauli V. Constit. ed. 1612. Mar. 1. Pont. 7. §. 13. Item Inn. XII. Constit. ed. 1693. Decemb. 4. Pont. 2.

De Sportulis Judicum Ordinariorum, & Commissariarum.

Cum inter caetera, quae disponuntur per Constitutionem sa. me. Pauli V. super Reformatione Tribunalium, illud praesertim enixe praecipitur, ut nullus Judicum Ordinariorum Urbis, & Romanae Curiae cujuscumque dignitatis, etiam speciali nota dignus in causis Civilibus ratione Sportularum seu Propinarum aliquid pro se accipiat, etiam a sponte dare volentibus: In Commissariis autem pariter Civilibus, ubi de summa scutorum viginti quinque agitur, & infra nihil pro se, a viginti quinque supra usque ad centum inclusive scuta tria, a centum usque ad ducentam scuta sex, a ducentum usque ad quatuordecim summa scuta decem, & non ultra: aliqua vero Litigantium querela ad aures Sanctissimi pervenerint adversus ejusdem Constitutionis in hac parte inobservantiam; idcirco de ejus mandato re mature, ac pluries examinata decretum, & declaratum fuit, praefatam Constitutionem prohibentem sportulas Judicibus Ordinariis ab omnibus Judicibus, qui non sint vere Commissarii, observari debere juxta universalitatem litterae, ac verborum, quacumque limitatione, vel interpretatione, sive argumento, aut contraria consuetudine sublatis, ac retentis: Judices vero ordinarios esse omnes illos, qui sunt deputati ad aliquam Universitatem, vel aliquod genus causarum, adeo ut Commissarii sint solum illi, qui

per commissionem specialem deputati sunt ad certas, & particulares causas, istoque tenore praesertim observare dictam Constitutionem, ut summas propinarum per eam taxatas nullatenus excedere, atque plus exigere valeant.

Ut autem omnis dubitandi, vel contraveniendi occasio tollatur, censuit Congregatio exprimere, ac recensere quinam sint Judices Ordinarii Urbis, & Romanae Curiae, iique sunt infra scripti, aliis non exclusis, quatenus adsint; eis tamen nullatenus praedictum censetur, quo ad illas sportulas, vel propinas, quae expresse, ac literaliter, non autem per argumenta, vel illationes, & interpretationes, aut subauditores intellectus eis deferuntur, ac tribuuntur per eandem Constitutionem Pauli V., sive per Privilegia, & Constitutiones Apostolicas particulares, non autem consuetudinem, iique sunt sequentes, cum declaratione, quod per descriptionem non censetur statutus ordo aliquis, nec alicui praedictum.

Qui sint Judices Ordinarii Urbis.

- D. Cardinalis Camerarius, ejusque Auditor, Judices deputati, etiam in Criminalibus.
- D. Cardinalis Vicarius, ejusque Vicegerens, & Locumtenens, alique Judices ab eo deputati.
- DD. Cardinales Archipresbyteri trium Basilicarum Patriarcharum, eorumque Vicarii, & Auditores, alique deputati.
- DD. Cardinales Titulares in eorum titulis Urbis, & in sex Episcopaliis Cardinalitibus, eorumque Vicarii, Auditores, & alii deputati.
- DD. Cardinales Protectores Collegiorum, Monachorum, Hospitalium, & locorum piorum, eorumque Auditores, & alii Judices, & Deputati.
- D. Gubernator Urbis, ejusque Locumtenentes, ac Judices civiles unus, vel plures.
- D. Auditor Camerae, ejusque Locumtenentes, & Judices deputati.
- D. Senator Urbis, ejusque Collaterales, & Capitaneus Appellationum, & alii deputati.
- D. Thesaurarius generalis, ejusque Auditor, alique Judices ab eo deputati, etiam in Criminalibus.
- DD. Praesides, & praefati respective viarum Graeciae, Zecchae, Riparum, Annonae, Archivii, & Carcerum, eorumque Auditores, alique Deputati.
- D. Praefectus Sacri Palatii Apostolici, ejusque Auditor, & Locumtenentes, ac alii deputati, tam quoad Palatinos, quam quoad Tusculum & Arcem Guandulphi, & Villas.
- D. Commissarius Armorum, ejusque Auditor, vel alii Deputati.
- D. Judex, vel Auditor confidentiarum.
- Judex Fabricae Sancti Petri.
- Judex Militum.
- Judex Castris S. Angeli.
- Judex Tirremium, seu Maritimae.
- Assessores Aedilium, seu Magistrorum viarum Consulium Agriculturae, Camerarii, Riparum, Protomedici, & Consulium artium, vel Mercatorum, & Dohanarum.

Ea declaratione adjecta, quod hujusmodi dispositio locum habeat, etiam si dicti Judices, seu Deputati procedant in gradu recursum, seu in secundis, vel aliis instantiis, quae praefatis Tribunalibus competenter. Omnesque praefatos, & alios Judices Ordinarios ad normam ejusdem Constitutionis, adhuc esse tales, atque in-



Congregatio mandavit, & decrevit, quod in posterum Actor, seu querelans non possit trahi coram Iudice coram quo fuit facta spontanea constitutio, & a quo monitorium obtinuit, quando praecedenter fuit porrecta querela coram alio Iudice, & ab eo fuit formatus processus sufficiens ad citandum, vel praecesserit citatio ad informandam Curiam.

De Salvo-Coductu.

Ad expellendos ab Urbe delinquentes, decretum, & mandatum fuit non licere in posterum Iudicibus, & Superioribus quorumcumque Tribunalium eisdem condemnatis, & Bannitis concedere *Salvos Conductus*, Vulgo, *non gravetur* nuncupatos, sublata eisdem Iudicibus, & Superioribus Tribunalium facultate concedendi eisdem *Salvos Conductus*, seu *Non gravetur* exiliatis, quando exilium fuerit per sententiam eisdem inunctum in poenam patratu criminis, nisi ad formam Iuris ad recolligendum sarcinulas.

De allegatione suspicionis.

Ad tollenda subterfugia quibus nonnulli utuntur ad procrastinandas causas civiles, allegando Iudices Romanae Curiae, pro suspectis, Congregatio decrevit, quod in posterum non admittatur allegatio suspicionis in causis, quibus ab allegante fuit informatum in scriptis super meritis, etiam si nullus aditus Judicialis inducens consensum; Et quod non admittantur nisi duae recusationes ex causa suspicionis, nec liceat tertio, & respective post triduum a die petitionis, seu productionis iurium recusare, nisi ex iusta causa prout de jure.

De alimentis praestantibus pro pauperibus Carceratis.

Quoad non gravetur ob praestantium alimentorum per debitores obtentum, & in posterum forsitan obtinendum a quibusvis Iudicibus, non afficiat, nisi legitime citatos, non autem alios.

Et quoad alimenta praestanda pauperibus carceratis, sublata taxa uniformi unius Julii usque adhuc servata, solvatur arbitrio Sacrae Visitationis, & Iudicum etiam infra, & supradictam summam unius Julii ad meram necessitatem naturae tantum; Et quoad probationem paupertatis, ubi etiam agitur de minori summa scutorum quinquaginta, nihilominus probatio fieri debeat eodem modo, qui praescribitur in reformatione ultra summam scutorum quinquaginta, ita tamen, ut nihil pro tali probatione solvatur, quodque ad praescriptum Constitutionis Pii V. non solvantur per creditores pauperes, minusque praestentur dolosis, vel calumniosis debitoribus, qui contra bonam fidem creditores diu defatigarunt cum injustis impedimentis, vel subterfugiis.

De congrua pro Clericis debitoribus.

Quoad congruam reservandam Clericis debitoribus recurrentibus ad beneficium Capituli *Odoardi*, decretum est ut excedere non debeat summam, quae pro qualitate, & usu loci reputatur sufficiens in beneficio, vel patrimonio, ad cuius titulum sit promotio ad Sacros Ordines; Ubi vero agitur de Beneficio residentiali, & servitio, adeo ut pro decore, & servitio Ecclesiae potius, quam personae aliqua major impensa pro Ecclesiasticis, & Sacris Vestibus requiratur, eadem congrua augeri valeat in eo, quod ad dictum effectum necessarium reputabitur.

De cautionibus in Societatibus, & Censibus.

Quamvis in societatibus Officiorum promittantur cautiones non tamen illarum promissio, vel non implementum suffragentur ad impediendum lucrum, quod alias sequi deberet,

perinde, ac si cautiones non fuissent promissae.

In censibus perpetuis quocumque tempore impositis, & imponendis ad evitandas fraudes, & ne reddantur redimibiles pro libito creditorum, non praestatio fidei iurionis promissae, neque directae, neque indirectae causare possit restitutionem sortis etiam ad effectum deponendi, nisi agatur de cautione promissae in causa mortis, vel mutationis status.

De Fructibus Dotum, & Societatium.

Fructus dotales per antea taxati per Statutum Urbis ad rationem septem cum dimidio pro centenario a die 3 Junii 1679. sint, & intelligantur reducti in Urbe ad rationem quatuor, extra vero Urbem in districtu ad rationem quinque, non obstante Statuto, seu consuetudine loci, idque procedat in dotibus quocumque tempore constitutis, seu debitis, & in futurum respective constituendis, seu debendis, ita tamen, ut creditoribus, quibus ex quacumque conventionione etiam jurata prohibita erat sortis exactio, adhuc liceat eandem sortem quoad dotes ante diem, 3 Junii 1679. constitutas, seu debitas exigere, nisi debitores velint in majori taxa conventionali etiam jurata continuare.

De Sanatione defectus Archiviacionis.

Fructus Societatium Officiorum quocumque tempore contractarum, & in futurum contractandarum non possint a die 3 Junii 1679, & in posterum excedere octo pro centenario.

Facultates Cardinali Camerario, & Praefecto Archiviorum competentes super sanatione defectus Archiviacionis, etiam post acceptatam nullitatem usque ad summam scutorum viginti quinque (si Sanctissimo placuerit) ad occurrendum calumniis, & subterfugiis, quae ob istam causam praestantur, extenduntur usque ad summam scutorum mille cum Clausulis apponi solitis in sanationum commissionibus Signaturae Graeciae.

De Decretis Congr. partis super inhibitionibus, & Non-gravetur.

Non possunt a Iudicibus coram quibus causa introducta sunt, atque producta, vel repetita scriptura, quas praetenditur hoc defectu laborare, avocari, vel inhiberi, ne in eis procedatur, sed talis defectus opponatur coram Iudice cause tanquam nullitas, vel exceptio ad tollendam fidem.

Et quoniam ad occurrendum calumniis, & subterfugiis debitorum, & reorum super inhibitionibus, & non gravetur aliisque cautelis S.M. Urbanus VIII. deputavit particularem Congregationem a qua plura prodierunt decreta, & provisiones inferius registranda, decretum, & provisum fuit, quod eadem decreta, & provisiones in aliquibus modificata eo modo, quo proxime infra registrata sunt, servari debeant.

Decreta S. Congreg. super inhibitionibus, & non gravetur per Debitores extortis a S.M. Urb. VIII. deputata ab omnibus, & quibuscumque Tribunalibus, & Iudicibus Urbis observanda.

De Inhibitionibus Agriculturae.

Inhibitiones Agriculturae ferentibus hordea, & alia blanda, vel legumina non concedantur, sed solummodo unicuique ferenti saltem rubra octo tritici quolibet anno. Et quoad tempora serventur respectu feminum a die prima Octobris usque per totum mensem Novembris; respectu vero mensum, a die prima Junii usque ad diem 15. Augusti tantum, juxta decretum alias emanatum tempore fel. rec. Pauli Papae V. Quo vero

vero ad personas debitorum, etiam si aliunde habeant, unde solvant, suffragentur utroque tempore, videlicet messium, & feminum; Super bonis autem quibuscumque ex Agricultura, non provenientibus, vel non inferventibus pro Agricultura, executiones fieri possint quocumque tempore etiam messium, & feminum, non obstantibus inhibitionibus.

De Nocturnis, iudicium, & Absolutionum officio.

Notarii, per acta quorum conceduntur dictae inhibitiones teneantur retinere librum examinum Testium pro obtinendis inhibitionibus examinandum, qui Testes debeant esse cogniti Notario, vel saltem duobus Testibus Notario notis; sin minus praestetur Juramentum petenti inhibitionem, ac inducenti Testes, quatenus sit praesens; Et rursus teneatur Notarius habere, ac retinere Matriculam, in qua describat omnes inhibitiones cum nominibus illorum, quibus conceduntur.

Judices, seu Assessores dum inhibitiones praedictas concedunt teneantur discutere relevantiam probationum, & non admittant probationes irrelevantes, neque quicquam recipiant pro provisione, & subscriptione inhibitionum.

Nec admittant fidas communitatum nisi previo examine Testium coram Superiore Loci servata forma supra scripto facta, & de verbo ad verbum inserto, Societates quoque, venditiones, communiones, admissiones ad participandum, cessiones, declarationes, & recognitiones similiter non admittant nisi causa cognita.

Inhibitiones supradictis omnibus non servatis partibus obtinentibus nullatenus suffragentur, & Notarii qui illas in posterum concedent, ultra damna, & interesse partium, prout de jure, subjaceant poenis etiam corporalibus arbitrio Congregationis.

De solventibus fidas.

Quoad fidas, quibuscumque solventibus fidam grossam, habentibus tamen requisita necessaria, serventur solite inhibitiones omnibus vero aliis fidas, & inhibitiones non suffragentur nisi respectu rerum fidam concernentium.

De Inhibitionibus Cardinali Camerario, & Praefidis Graeciae.

Non gravetur, & inhibitiones Eminentissimi Camerarii, & Praefidis Graeciae, non suffragentur, nisi quoad personas Lanionum in matricula descriptorum, & tres illorum ad Graeciam pertinentes. Reservata tamen facultate Eminentis. Domino dictas inhibitiones quocumque revocandi, & moderandi.

Salfamentariis autem, & fructuum, piscium, candelarum, & olei venditoribus; Vaccinariis, omnibusque aliis similibus non concedantur, & concessa non suffragentur.

Possit etiam Graeciae Praefes mandare exequi mandata aliorum Iudicum contra personas Lanionum, & res Graeciam concernentes etiam absque citatione, sed abstineat a cognitione meritum cause principalis.

Praefidis Annonae.

Inhibitiones per Eminentissimum Camerarium, & Praefidem Annonae non concedantur nisi piscioribus, seu furnariis, molitoribus, vel Molendinariis, quoad eorum personas, res, & bona ad artem pertinent.

Praefidis Riparum.

Inhibitiones a Praefide Riparum non concedantur, & concessa non suffragentur nisi occasione rerum Ripalium, & contractuum super rebus Ripalibus, ac pro personis, belluis, barchis, curribus, & aliis instrumentis actu inferventibus corrigio, & conductioni ad Urbem tam per Flumen, quam per terram. Ac in illarum concessione

serventur superius disposita circa inhibitiones Agriculturae.

Praefidis Carcerum.

Praefes carcerum non concedat inhibitiones & non gravetur debitoribus non dum carceratis vigore memorialium, nisi in illis adsit specialis ordo Sanctissimi.

De Inhibitionibus pro cereis rebus.

Non decernantur, neque fiant ab aliquo Iudice executiones super belluis inferventibus pro confectione pulveris, & salnitri, vel caldarii, aut aliis instrumentis, nisi pro debitis particularibus Appaltus, vel Ministrorum juxta formam, Bannimentorum.

Pro Textoribus Lanz.

Inhibitiones ad favorem Textorum Artis Lanae in posterum non concedantur, nisi de ordine Eminentissimi.

Pro Fabrica S. Petri.

Inhibitiones Venerabilis Fabricae Principis Apostolorum Procuratoribus, Notario, Ministris, Operariis, & quibuscumque aliis in posterum non concedantur, & huc usque concessa nullo modo suffragentur, nisi pro rebus eandem Fabricam concernentibus.

De Inhibitionibus Cardinali Archipresbyteri.

Eminentissimi Cardinales Archipresbyteri S. Joannis Lateranensis, S. Petri, & S. Mariae Majoris non concedant inhibitiones generales, seu particulares, tantummodo citata parte, & juxta terminos privilegiorum Apostolicorum dumtaxat, & alias concessa non serventur, & libere eis non obstantibus fiat executio.

Emphyteute, Inquilini, Coloni, Assituarum, & Conductores non gaudeant privilegiis supradictis, nisi quando agitur de interesse Ecclesiae, & Ecclesia est in causa.

Locorum Piorum.

Inhibitiones Hospitalis S. Sixti, Neophitorum, & Catechumenorum, Annunciatum, S. Marcelli, Orphanorum, SS. Trinitatis, S. Hieronymi Charitatis, & quorumcumque locorum Piorum, etiam sub protectione Eminentissimorum Cardinalium, non dentur, nisi parte citata, & quando agitur de rebus, vel interesse dictorum Locorum Piorum, & ad favorem Ministrorum actu, & mercede illis inferventium.

De executione ad instantiam Locorum Piorum.

Ad instantiam Locorum Piorum ne fiat aliqua executio super bonis a Conductore inventis.

Patris pro debito filii.

Ad instantiam Partis ne fiat executio pro debitis filii super bonis in domo communi habitata existentibus. Item ne fiat super pallio, quod filius gestat.

Domini Domus, vel Conductoris.

Ad instantiam Domini Domus, vel Conductoris ne fiat executio in Domo sua, vel ab eo conducta pro debito cujusvis personae etiam cohabitantis, vigore Testium examinatorum, quibus in actis quis probaverit talia bona esse instantis, ad impediendas executiones cujusvis alterius.

Filii familias.

Ad instantiam filii familias ad impediendas executiones contra cum relaxatas, vel relaxandas sub praetextu Statuti annullantis contractus filiorum familias.

Vi statuti.

Ad instantiam viri, ne fiat executio super bonis in Domo per eum conjunctum cum uxore habitata existentibus, vigore mandatorum contra uxorem relaxatorum, vigore Statuti pro Mulieribus obligatis, absque decreto, & solemnitatibus.

De Inhibitionibus dotali.

Inhibitio Dotalis propter hypothecam Uxoris in bonis viri, nisi expressio Notario, die, & anno, quo Instrumentum Dotis fuit rogatum.

Ad instantiam Vendorum.

Ad instantiam venditoris vigore reservationis Domini super re vendita, ne in ea fiat executio



Vi capite possessionis.

Adversus Mandata suspitionis fugæ.

De Non-gravetur gratioso.

De Inhibitionibus generalibus.

De Nullitate inhibitionum.

Facultas Em. Præfati.

Insuperantia Decreta ad totum Statum extenduntur.

Decreta cum declarationibus.

quatio pro debito emptoris, aut alio quopiam. Ad instantiam commodantis, ne fiat executione super re commodata pro debito Commodatarii. Vigore capite possessionis de iudicis mandato ne alter audeat ejusdem rei possessionem capere, nisi citato eo, qui fuit a iudice, vel immisus, vel manutentus, vel ex quacumque causa associatus.

Adversus mandata suspitionis fugæ, nisi parte citata petens inhibitionem probaverit se possidere in Urbe, vel districtu bona stabilia, vel mobilia, quæ de facili amoveri non possunt, vel saltem dederit cautionem de non discedendo donec parte citata probaverit se possidere, ut supra.

Adversus mandata suspitionis fugæ stante cautione in actis præfata de stando jure, nisi tantum pro summa contenta in cautione, & adversus creditorem nominatum.

Non gravetur gratiosum, vel ad effectum concordandi, vel aliquando iterum audiendi, vel aliis de causis, nisi semel tantum, & pro quinque diebus ad summum.

Inhibitiones generales quibuscumque personis etiam privilegiatis, per quoscumque iudices in posterum non dentur, sed tantum speciales vigore reasumptionum, & appellantium in forma.

Ceterum inhibitiones datæ contra formam presentium Decretorum non afficiant, & illis non obstantibus facta executio valeat.

Reservata, & semper remanente Eminentiſſimo Præfati facultate, & auctoritate omnes, & singulas supradictas, & quascumque alias inhibitiones, & non gravetur a quocumque iudice, & ex quacumque causa, & capite, tam in presentibus expressis, quam non expressis pro ejus arbitrio, & libito voluntatis revocandi, & moderandi, & illis non obstantibus quocumque Exequatur, seu executiones sibi bene visas concedendi. Necnon omnes, & quoscumque iudices, Notarios, & Executores, ac alias quavis personas supradicta Decreta non observantes, vel illis quomodolibet, & qualitercumque directe, vel indirecte sub quovis prætextu, vel quæſito colore contravenientes, & contrafacientes corrigendi, multandi, ac quibuscumque poenis, etiam corporalibus ejus arbitrio infligendis, & moderandis manu Regia plecten, & punien.

Porro cum ex relatione nuper nobis facta, nonnulla ex hujusmodi Decretis ejusdem nostri Status Ecclesiastici Italiae felici regimini, ejusdemque etiam quoad temporalia Subditorum, commotis conferre compertum habuerimus, ad eundem Statum sequentia ampliare, & extendere decrevimus, prout ampliamus, & extendimus, nimirum:

Primo. Decretum super libertate executionum, & citationum contentum sub titulo de Curſoribus, & Mandatariis, aliisque Exequutoribus.

Secundo. Decreta relata sub titulo de Advocatis, & Procuratoribus.

Tertio. Decretum sub titulo de Novitiis super forma creandi Notarios cum declaratione: Quod ea, quæ circa praxim, & examen in Urbe inibi statuuntur in Legationibus Bononiæ, Ferrariæ, & Emilie, seu Romandiolæ, & Urbini, ac etiam in Provincia, seu Gubernio Marchie, seu Maceratae expleantur in ipsa Civitate Metropoli,

seu residentiali Cardinalis Legati, & Gubernatoris respective, ibique habeatur examen coram ipſo Legato, vel Gubernatore, seu alio per eum deputando, & coram duobus probatis Curialibus, toridemque probatis Notariis ab eodem Legato, vel Gubernatore pariter deputandis, adeo ut in reliquis eadem forma servetur.

Quarto. Decreta contenta sub titulo de variis provisionibus. Ita tamen respectu, ut fructus Dotales, quinque; fructus vero Societatum Officiorum novem pro centenariis in dicto nostro Statu ex nunc in posterum non possint excedere.

Nunc vero omnia, & singula Decreta præinserta tali, tantaque maturitate digesta, ac sicut præmittitur immutata, declarata, & aucta, nec non a nobis extensa; & ampliata nullatenus, attento eorundem decretorum, alias oretenus approbatorum, jussuque nostro publicatorum, ut præfertur, ac etiam impresorum aliquid diverſo tenore perpetuo in violabiliterque observari, & Constitutionis nostræ munimine roborare volentes: Motu proprio, non ad cuiusquam nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine præinserta decreta, omniaque, & singula in eis contenta tenore presentium auctoritate Apostolicâ confirmamus, & approbamus, necnon illis in violabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur, & efficaciam adjicimus: quinimo motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine simul omnia, & singula in supradictis Decretis contenta de novo statuimus, decernimus, & ordinamus, & tam illa, quam præfata Pauli Prædecessoris in iis, quæ præmissis non adferantur, Constitutionem ab omnibus, & quibuscumque etiam speciali, & individua nota dignis, eodem modo, quo in memorata Pauli Prædecessoris Constitutione caveatur, cujus tenorem presentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, necnon sub poenis, quæ in eadem Constitutione, & in præmissis Decretis continentur, ceterisque nostro, vel Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio injungendis exactissime perpetuoque servari volumus, & mandamus.

§.3. Decernentes omnia quæ contra hujusmodi Constitutionis, omniumque, & singulorum in ea contentorum formam, & tenorem, Decreta, acta, vel quocumque modo, vel tempore gesta fuerint, nulla, invalida, & extorta, nulliusque roboris, efficaciam, vel momenti fore, & ceteri, nemini que præterea ullatenus suffragari posse, vel debere; & ita per quoscumque iudices, tam Ordinarios, quam Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuiuslibet, quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & diffiniri debere; irritum, quoque, & inane quicquid secus super omnibus, & singulis præmissis, vel circa ea a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & ac Synodaliſſimis Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon legibus, etiam Imperialibus, & municipalibus,

Omnia relata Decreta motu proprio confirmantur, & de novo statuuntur.

Eodem & Pauli V. Constitutionis observantia sub certis poenis præcipitur.

Clauſula.

ac

CCVIII.

Confirmantur Theſaurarii Provisiones, & Ordinationes, & Taxæ pro Bono Montium Romanæ Curie Regimine.

Die 6. Junii 1689. An. 13.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Motu proprio &c.

CUM recol. mem. Clemens VIII. prædecessor noster ad tollendas fraudes, quæ in designationibus Locorum Montium Romanæ Curie ad Cameram Apostolicam, ac etiam Religionibus, Communitates, Domicellos, & alios spectant. a Secretariis dictorum Montium in præjudicium ejusdem Camere aliorumque prædictorum, committebantur, sua Motus proprii Cedula die 15. Maji 1600. publicata certam formam desuper præscripserit, ac plures Ordinationes, Decreta, & mandata etiam poenalia, in contrafacientes, promulgari jufferit, prout in ipsa Motus proprii Cedula latius continetur, ad quam &c. Cumque anno 1608. similis memorie Paulus V. pro tollendis præjudiciis, abusibus, difficultatibus, & impedimentis, quæ circa præfatos Montes irrepserant, Congregationem super eisdem Montibus cum diversis facultatibus, Privilegiis, & auctoritatibus deputaverit, ac subinde varias provisiones, Ordinationes, & Taxas, quas eadem Congregatio pro reſta eorundem Montium an negociorum, scripturarumque ab eis dependentium administratione, & gubernio anno 1615. edidit, alia Motus proprii Cedula confirmaverit, ac expresse servari jufferit modo, & forma in eisdem Cedula contentis, ad quas relationem haberi volumus. Cumque anno 1671. omnes dictorum Montium Secretarias in unam a fel. record. Clemente X., etiam sub aliis certis Regulis, & Ordinationibus redactas idem Pontifex Didacus Ursayæ Clerico Policastroensi, sua vita naturali durante, concesserit in alia Motus proprii Cedula, & Chirographo ab eodem Pontifice Clemente diebus 7., & 17. Septembris anni 1671. subſignatis, ad quæ pariter relationem haberi volumus. Nuper vero die 21. Junii 1688. proximi præteriti idem Didacus Ursayæ Officium dictarum Secretariarum in manibus nostris sponte renunciaverit: Nosque Populi nobis committi utilitati, ac publicæ commoditati omni studio invigilantes, & considerantes unius persone industriam tanto oneri fere imparem esse, quodque si in tali ministerio plures assumerebantur, major exinde utilitas publico commercio, & longe major in expediendis negociis facilitas resultaret, quodque ita quoque indemnitati nostræ Camere aptius consulere, dum eventiente obitu unius Secretarii, possent alii æque idonei, & informati usque ad novam Successoris deputationem, illius vices supplere, absque ullo publici servitii detrimento. Propterea dictam renunciationem admittentes Officium dictarum Secretariarum in quatuor æquales portiones distincte, & separatim per quatuor personas diversas exercendas, & administrandas dividerimus, & separaverimus modo, & forma, ac ex causis, & rationibus in Motus proprii Cedula manu nostra desuper subſignata plenius contentis, & expressis. Succesſive autem ad dirimendos abusos multosque casus noviter exortos declarandos injunxerimus Josepho Renato Imperiali Theſaurario

Provisiones Clem. VIII., Pauli V. pro bono Montium regimine.

Reductio Secretariarum omnium in unum Secretarium a Clemente X. facta.

Divisio Secretariarum in quatuor Secretarios.

Committitur Theſaurario Montium directio.

ac dictæ Urbis, & Provinciarum, Civitatum, Oppidorum, Terrarum, Locorum, ac Basilicarum, aliarumque Ecclesiarum, Tribunalium, Collegiorum, Monasteriorum, Societatum, Congregationum, Institutorum, Confraternitatum, Hospitalium, & Locorum piorum quorumcumque, aliisque quibuscumque, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, eorumque Reformationibus, & novis additionibus, usibus, stylis, etiam inveteratis, & consuetudinibus, quantumvis immemorabilibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & approbatis, ac pluries, & quantiscumque vicibus innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret; illorum omnium, & singulorum tenores, formas, causas, & occasiones, presentibus pro plene, & sufficienter, ac exactissime, & accuratissime expressis insertis, servatis, & specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum specialiter, expresse, plenissime, & amplissime derogamus, & derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque, aut si præfatis personis, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim ab eadem sit Sede Indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam ac de verbo, ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem.

§.5. Volumus autem, quod presentes, postquam Valvis Ecclesie Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon in acie Campi Floræ affixa, & publicata fuerint, omnes, & singulos, tam in Romana Curia, quam extraneam existentes, quorum interest, vel interesse poterit, perinde obligent, & arctent, ac si unius cuique eorum personaliter, & nominatim intimata fuissent; quodque illarum exemplis, etiam impressis manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra ubique locorum adhibeatur, quæ ipsismet presentibus adhiberetur si essent exhibitæ, vel ostense.

§.6. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, Reformationis, Statuti, Decreti, Ordinationis, mandati, extensionis, ampliationis voluntatis, derogationis, & irritationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo octogesimo nono. Quarto Kalend. Julii Pontif. nostri Anno Decimotertio.